

armato, pallium regium adeo expugnavit quod ipsum tyranum omnesque suos satellites cepit; quem morte turpissima, omnibus spectantibus, mori fecit. Hic quoque imperator per tempus magnum iuste et pie rex imperium, omnibus pro tempore et loco suam impendens gratiam. Exercitum quem Guillielmus rex Apulie ad tantum scelus ulciscendum in Graeciam miserat, ex omnibus suis expulit finibus. Sane post haec Alexius, tam iusti imperatoris frater, omni plenus nequitia atque ineffabili avaritia atque ambitionis veneno inebratus, prefatum imperatorem, cum suauis eius in quamdam sylvam [a] ivisset venatum, prosilientibus militibus ex insidiis quas ipse fratri paraverat, capere non dubitat [b]; et addens iniquitatem iniquitati, quod horibile est dictu, ipsum lumine privatum penitus quoque carceri [c] et vinculis arctissimis tradidit [d]. Audiens tantum scelus filius orbati imperatoris, Robertus nomine [d] [B], cum adhuc infantulus in quadam nutrire civitate [e], timens non modicum sibi, adiutorio quorumdam in Italiam fugit, in se cum suis Venetias conserens [C].

*De flebili casu regni Hierosolimitani.*

CAP. LXXXIII.

Iterum Area Dei capta est in bello, et sacerdotes impio interiere iugulo [f]; iterum Israel caesus est [g] a Philisteis atque fugatus; iterum quasi vidua sedet dominia gentium, et terra sanctissima facta est in tributum. Miraberis, lector? Nostrorum hoc exigunt [h] merita peccatorum. Obstupescis, auditor? Occulta Dei [i] iudicia nostris prodeunt temporibus. Quasi igitur divinae inspirationis oraculo premonitus, Balduinus rex [j] [D] Hierosolitanus, cum matrimonio nollet vacare legitimo, eo quod elephantia esset infectus [k], timebat quamplurimum, ne, prole suae stirpis deficiente maxime masculina, regnum ejus ad extraneum et fortasse minus idoneum volveretur. De consilio itaque suorum sapientum, Guillielmum Spatamlongam, filium Guillielmi marchionis de Monteferrato, nepotem scilicet domini imperatoris Romano-

[a] in quamdam sylvam, C. V.; in quam sylva, C. M. — [b] capere non dubitat. Sic lego. Codices habent: non dubitant. — [c] lumine privatum penitus quoque carceri. Sic lego C. M.; lumine privavit penitus, et carceri, C. V. Pro quoque, cl. Mitt. legit quem. — [d] Robertus nomine. Sic Codd. — [e] in quadam nutrire civitate. Sic C. M.; in quandam mitteretur civitatem, C. V. — [f] interiere jugulo. Sic legit cl. Mitt.; interiere ingulo habere videtur, C. M.; interiere vinculo, C. V. — [g] caesus est, C. M.; ceptus est, C. V. — [h] hoc exigunt, C. M.; haec exigunt, C. V. — [i] Occulta Dei, C. V. et Cl. Mitt; stulta, habet C. M. — [j] Balduinus rex. Sic Codd. — [k] elephantia esset infectus. Sic Codd. Est lepra quaedam foeda species.

[A] Hoc contigit anno MCLXXXV, decimo nempe postquam imperio potitus fuerat.

[B] Fortasse legendum Alexius, sic enim vocabatur ille Isaacii filius, qui patrum Alexium anno MCCIII e throno deiecit.

[C] Constantinopolitanum imperium in Latinorum potestatem venit, teste Muratorio, anno MCCIV.

[D] Balduinus, scilicet, huius nominis quartus, vulgo cognitus cognomine leprosi. Fuit filius Almerici regis Hierosolimitani, et, patre mortuo, cum ipse tresdecim annos natus esset, regnum adeptus fuit die XIII iulii anno MCLXXIII.